Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



YSAIAS

ista. Ecce intelliget puer meus. exaltabitur. et elevabitur. et sublimis erit nimis. Sicut obstupuerunt super te multi: sic magnus erit inter viros aspectus eius. et forma eius. inter filios hominum. Ita asperget gentes multas super ipum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo videbunt. et qui non audierunt contemplati sunt. Capitulum. L.um.

Quis credidit auditui nro. et brachium domini cui revelatum est. Et ascendet sicut virgultum coram eo. et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor. Et vidimus eum et non erat aspectus. et desiderabimus eum despectum. et novissimum virorum. virum dolorum et scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus eius. et despectus. unde nec reputavimus eum. Vere languores nros ipse tulit. et dolores nros ipse portavit. et nos putavimus eum quasi leprosum. et percussum deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est. propter iniquitates nras. attritus est. propter scelera nra. Disciplina pacis nre super eum. et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus. unusquisque in viam suam declinavit. et dominus posuit in eo iniquitatem omnium nrm. Oblatus est quia ipse voluit. et non aperuit os suum. Sicut ovis ad victimam ducetur. et quasi agnus coram tondente se obmutescet. et non aperuit os suum. De angustia et de iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit. Quia abscisus est de terra viventium. Propter scelus populi mei percussi eum. et dabit impios pro sepultura. et divites pro morte sua. eo quod iniquitatem non fecerit. neque dolus fuerit in ore eius. et dominus voluit eum conterere in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam: videbit semen longevum. et voluntas domini in manu eius dirigetur. Eo quod laboravit anima eius: videbit et saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos. et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispeniam ei plurimos. et fortium dividet spolia. Eo quod tradidit in mortem animam suam. et cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata multorum tulit. et pro transgressoribus rogavit. Laetare Caplm. L.um. mt. sterilis quae non paris. decanta laudem. et hymni quae non parturiebas. quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habet virum. dicit dominus. Dilata locum tentorii tui. et pelles tabernaculorum tuorum extendite ne pcas. Longos fac funiculos tuos. et clavos tuos confortabis. ad dexteram quoque et ad laevam penetrabis. et semen tuum gentes haereditabit. et civitates desertas inhabitabit. Noli timere. quia non confunderis neque erubescas. non enim te pudebit. quia confusionis adolescentiae tuae obliviscaris. et opprobrium viduitatis tuae non recordaberis amplius. quia dominabitur tui qui fecit. dominus exercituum nomen eius. et redemptor tuus sanctus israel. Deus omnis terre vocabitur. quia ut mulierem delictam et merentem spiritu vocavit te dominus. et uxorem adolescentiae abiectam. dixit deus tuus. Ad punctum in modico dereliquit te. et in miserationibus magnis

eum